



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ludolphi, rectoris ecclesiae parochialis in Suchem, De  
itinere terrae sanctae liber**

**Ludolphus <Suchensis>**

**Stuttgart, 1851**

XLV. De valle Bokar, Libano et Baruth

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9333**

XLV. DE VALLE BOKAR, LIBANO ET BARUTH.

De monte Seyr multis in itinere visis, de quibus non est mentio facienda, proceditur et dimissis Armathia et Tripoli civitatibus a dextris, de quibus mentionem prius feci, pervenitur ad vallem nomine Bokar<sup>1</sup>, quæ nunc etiam planities Noe vocatur. Nam Noe post diluvium ibidem habitavit. Hæc planities est pulcherrima et uberrima ac fertilissima, pratis, pascuis, arboribus, fontibus, pecoribus, piscibus, frumento multum abundans, inter montes inclusa et a Sarracenis agricolis inhabitata. His omnibus visis et transitibus pervenitur ad montem Libani, de quo etiam plus mentionem feci, et ad montana nigra, quæ attingunt ad Antiochiam, super quæ crescunt ligna, de quibus arcus balistarum efficiuntur, quæ de ipsis montanis ad longinquas partes et terras deportantur. Sub his montibus immensa Christianorum degit seu habitat multitudo ad ritum Latinorum et ecclesiæ romanæ se habentes, quorum episcopos multos ab archiepiscopis latinis vidi consecrari et passagium et recuperationem terræ sanctæ continue et specialiter affectantes. His omnibus et plurimis aliis mirabilibus villis, locis et casalibus visis, pervenitur in civitatem nomine Baruth maritimam, de qua prius mentionem feci, per quam peregrinorum communis est transitus, prope quam sanctus Georgius martyr gloriosus draconem interfecit, et ipsam civitatem et totam terram ad fidem Christi convertit. De Baruth homo, ad quascumque partes cismarinas voluerit, redire poterit, quod suæ committo voluntati.

Hæc sunt itinera terræ sanctæ bona, sed non publica, in quibus omnia loca et oratoria prædicta commode perlustrantur in statu et dispositione, prout erant sub annis domini, prout supra. Et scio quod ab aliquo vivente in aliquibus non possum reprobari, quia de his, quæ vidi et veraciter audivi, testimonium perhibeo. Et hæc ad deductionem<sup>2</sup> et reverentiam reverendissimi in Christo patris ac domini, domini Baldewini paderburnensis ecclesiæ episcopi dignissimi conscripsi, et nomine domini invocato incepi et complevi. Cui laus et gloria per infinita sæcula. Amen.

---

1. *So A.* Rokar *BC.* — 2. *devotionem C.*

---